

tantum virginitatis, si vovens præcisè intenderit tantum conservare integritatem claustris, secus autem, seclusa hac speciali intentione, quia per votum virginitatis intelligitur committere votum castitatis. Similiter votum suscipiendi Sacros Ordines non est reservatum; quia non est votum castitatis, sed tantum votum assumendi statum, cui annexa est castitas. Inferes 4. Votum ingrediendi Religionem strictiorem non esse reservatum quoad hanc circumstantiam, *strictiorem*, sed posse ab Episcopo dispensari, ut laiciorem ingrediatur, aut a Prelato Regulari, si sit Religiosus, ut in sua permaneat. Similiter votum peregrinandi Romam pedibus, aut mendicando, potest ab Episcopo dispensari quoad eas circumstantias, sic, ut equo, curru, non mendicando, eat. Item vota peregrinandi ad loca sancta, emissa ex alio motivo, puta ex motivo, aut ferendi subsidium Terræ Sanctæ, puta ex motivo obtinendi absolutionem a peccatis, non sunt reservata. Inferes 5. Votum penale, seu etiam simpliciter conditionale, non esse reservatum, quoad non est adimpleta conditio, quia reservatio odiosa comprehendit tantum obligationem perfectam, existentem, & consummatam, qualis non est in votis conditionalibus, & penaliibus antè impletam conditionem. Impleta verò conditione est reservatum, quia tunc vovens magis velit culpam vitare, quam voto obligari, imò voti obligationem timeat, cum eam assumat ut fraus culpæ; hoc enim non obstante, reverà rem illam vult, deliberatè vult, maturè vult, licet dependenter a conditione. Et hæc sententia mihi videtur probabilior, quidquid alii quidam ceusant in oppositum. Inferes 6. Votum alternativum, cuius altera pars non est reservata, non esse reservatum, ut voveo ingredi Religionem, aut suscipere Sacros Ordines; quia tale votum non est determinatè de reservata, neque ad illam simpliciter obligat: nam *in alternativis debitoris est electio*; & sufficit alterum impleri, Reg. 7. in 6.

Sed quid, si successu temporis pars non reservata fiat impossibilis? Respondeo, quod dato, quod ad partem remanentem possibilem vovens teneatur, non videtur tamèn eius votum reservatum, quia id non provenit ex eius intentione, sed ex eveni, & per accidens: secus, si propria voluntate ad partem reservatam se determinet, non nudo proposito, sed cum voluntate priorè obligationem determinandi.

Inferes 7. Quod ubi semel Papa votum reservatum in illud commutavit, istud subrogatum non sit reservatum, quia, ut suppono, non est amplius in materia reservata. Nec refert, si dicas ex Jure, *Subrogatum sapere naturam ejus, cui subrogatur*; id quidem verum est quoad ea, quæ subrogationem per se, & intrinsecè spectant, non quoad ea, quæ sunt ipsi extrinsecæ, & accidentaria, qualis est reservatio pendens ex libera SS. Pontificis voluntate.

Dico 6. Etiam remaneat vera materia, & ratione voti reservati potest nihilominus per accidens dispensari ab Episcopo, quando minime est impossibilis, aut valde difficilis recursus ad Summ. Pontificem, & urget gravis necessitas maturandi dispensationem. Hæc sententia, quæ est communis, innititur Episcopis, seu præsumptæ voluntati Papæ, qui non secus, ac in aliis legibus Pontificis, censuris, &c. non censetur velle coercere fideles in tanta necessitate, sed eos potius remittere ad primævam, & ordinariam potestatem Episcoporum. Hinc

Inferes 1. Votum castitatis sponsi, aut sponsæ posse ab Episcopo dispensari ad Matrimonium contrahendum, si ex dilatione Matrimonii imminet grave damnum, aut gravis infamia, sive sponsi, aut sponsæ, sive familie, sive proli non legitimatæ. Similiter, si, non obstante voto castitatis alterutrum Matrimonium sit contractum, & consummatum, aut Matrimonio jam contracto, & consummato superveniat votum altera parte non consentiente, poterit Episcopus dispensare quoad petitionem debiti, propter continuum periculum incontinentiæ in mutua cohabitatione, quam deserere non tenetur compars voto libera. Imò quidam Auctores censent hanc facultatem Episcopis competere Jure ordinario, per consuetudinem acquisito. Si vero nondum sit consummatum Matrimonium, non videtur posse ab Episcopo dispensari, quia compars voto adstricta potest illud servare, sive per ingressum Religionis, sive per separationem thori, quæ spatium duorum mensium a contracto Matrimonio est adhuc ipsi libera, quo intervallo poterit obtineri dispensatio a SS. Pontifice. Id saltem mihi videtur probabilior, & est certò tutius. Cæterum advertet, in his, & similibus casibus dispensationem Episcopi non posse se extendere ultra quam necessitas postulat, manente firmo voto quoad cætera; quia tota ratio dispensandi est ipsa ne-

cessitas. Undè, si propter necessitatem dispenset Episcopus quoad usum Matrimonii, remanet obligatio voti, non se polluenti, non adulterandi, non transgredi ad secundas nuptias, &c. imò ipse SS. Pontifex non solet aliter dispensare in voto castitatis.

Inferes 2. Votum castitatis, emissum ab uno conjuge de consensu alterius cedentis juri suo, aut ab utroque emissum ex mutuo consensu, probabilior non esse dispensabile ab Episcopo, quia nulla supponitur ratio nisi periculum incontinentiæ, quod vitare possunt, & debent ad tempus separationem thori, & aliis mediis.

Petes 1. Utrum supposito Privilegio Regularium dispensandi in votis, de quo Conclusionem 3. possint idem Regulares quoad reservata, quod possint Episcopi? Respondent hujus Privilegii Patroni, posse Regulares quoad reservata, quod possunt Episcopi jure ordinario, seu ubi deficit materia voti, non autem quod possunt per accidens, & ratione necessitatis. Quia in priori casu, vota illa defectu alicujus conditionis reverà non sunt reservata SS. Pontifici, sed sunt simpliciter casus Episcopales, seu in quibus Episcopus dispensat jure ordinario, ideoque comprehenduntur in Privilegio collato Regularibus (si quod sit) dispensandi in votis, in quibus dispensant Episcopi. At verò in 2. casu vota illa remanent simpliciter reservata, & solam per accidens ratione necessitatis ab Episcopo tanquam SS. Pontificis legato dispensantur, ideoque non comprehenduntur in Privilegio Regularium nomine votorum, in quibus dispensare potest Episcopus: nam termini illi, *possunt Regulares, quod possunt Episcopi*, sunt in propria significatione accipiendi, scilicet, quod possunt Episcopi qua Episcopi vi ordinariæ sue jurisdictionis. Adde, quod potestas dispensandi in casu necessitatis radicitur in jurisdictione ordinaria, quam Episcopi aliqui habent in vota subditorum, & qua de facto fruuntur, nisi eam restringeret Pontifex: hæc autem jurisdictione erga Seculares caret Regularis.

Objicies, modò non dixisse posse Regulares, quod possunt Episcopi jure ordinario. Respondeo id verum esse de jure ordinario immediato, non radicali; nec dixi id posse Episcopos jure ordinario, sed facultatem ipsis ad hoc delegatam a SS. Pontifice radicali in jure, seu jurisdictione ordinaria, sive eos ad hoc delegari, quia aliqui habent jurisdictionem ordinariam.

Petes 2. Utrum si facilis esset recursus ad Legatum, seu Nuncium Apostolicum, Episcopus possit in casu necessitatis dispensare in votis reservatis? R. affirmative; quia juxta Layman, & alios, Legatus etiam a Latere, jure ordinario, seu vi dignitatis, & officii non habet majorem dispensandi potestatem, quam Episcopus, unde liberum erit ad alterutrum recurrere. Secus, si forte Legatus haberet specialem aliquam commissionem dispensandi in votis, aliisve Legibus Pontificis.

Petes 3. Utrum in facultate generali dispensandi in votis comprehendatur facultas dispensandi in reservatis? Potest fieri eadem questio de facultate absolventi a peccatis. R. Leyman lib. 4. tract. 4. cap. 8. n. 7. Sponer, Henno, & plures alios communiter tenere partem negativam: quia 1. cap. Si Episcopus. De Penit. & Remiss. in 6. sic statuitur: *Si Episcopus suo subdito concesserit, ut sibi possit idoneum eligere Confessorem, ille, quem is elegerit, in casibus, qui eidem Episcopo specialiter reservantur, nullam habet potestatem: cum in generali concessione illa non veniant, quæ non esset quis verosimiliter in specie concessurus.* 2. in Extravag. *Etsi Dominici* 1. de Penit. & Remiss. in 6. Paulus II. statuit, *quod in quibuscumque concessionibus, & facultatibus absolventi, casus infra scripti, tanquam specialiter Sedi Apostolicæ reservati, semper intelligerentur excepti.* Casus autem infra scripti sunt peccata simoniæ, & alia contenta in *Bulla Cæne*. 3. in Extravag. *Etsi Dominici* 2. Sixtus IV. vetat, ne sub prætextu facultatum a Sede concessarum quis presumat absolvere a casibus *Bulle Cæne*, aut commutare quinque vota reservata, nisi constet id ex certa scientia, & speciali gratia esse concessum, cum derogatione præsentis Constitutionis, illius de verbo ad verbum inserto tenore, non autem per clausulas id importantes... commutare presument. Hæc ibi, quæ sane non faciunt Legem generalem quoad facultates concessas, aut concedendas ab aliis SS. Pontificibus, ut patet, sed solim spectant facultates ab ipso Sixto concessas, aut concedendas.

Hanc intelligentiam esse veram, sin minus, non esse receptam Constitutionem Sixtinam, sequens evincit ratio. Si modò concederetur a SS. Pontifice facultas absolventi a casibus in Constitutione Sixtina reservatis, & commutandi 3. præfata vota, absque eo quod exprimitur id concedi ex speciali gratia, & absque derogatione speciali hujus Sixtine Constitutionis, nec inserto ejus tenore de verbo ad verbum, talem facultatem ad præfatos effectus valere, nemo, ut puto, inficias ibit; atqui tamèn Sixti Constitutio hæc omnia necessario requirit, ut patet ex ejus textu: ergo evidens est, non extendendam esse ad concessiones factas ab aliis SS. Pontificibus, sed de iis solis a Sixto factis, sin minus, eam esse usu contrario abrogatam.

Confirmatur: Ipsimet contrariæ sententiæ defensores fatentur, in *Bulla Jubilæi*, per quas conceditur facultas

sibus &c. Hoc notato ad quæstionem R. in facultate generali 1. sensu non comprehendit facultatem dispensandi in votis reservatis; & hoc probant momenta mox ex Jure allata; comprehendit tamen in facultate generali 2. sensu: quia, qui dicit omnia, comprehendit singula nullo excepto, alioquin non solim non servaret proprietatem sermonis, sed etiam falsum diceret. Adde, quod, cum sit favorabile, est ampliandum, quantum patitur proprietas possunt contra hanc secundam partem responsionis, R. ad 1. ipsum aperte loqui de facultate generali 1. sensu sumpta, nempe de facultate eligendi Confessorem. Cum autem subdit, *quod in generali concessione illa non veniant, quæ non esset quis verosimiliter in specie concessurus, verum est de concessione generali 1. sensu sumpta, non 2. quia, qui omnia concedit in genere, non solim verosimiliter concessurus esset singula in specie, sed de facto concedit.* Adde, in prædicto capite non agi de votis reservatis, sed de peccatis reservatis: in odiosis autem, qualis est reservatio, non valet argumentum a simili, cum magis debeat restringi, quam ampliari. Ad 2. R. similiter esse intelligendum de facultate generali in 1. sensu. Nec me inovert, quod dicitur, *in quibuscumque concessionibus & facultatibus, &c.* non enim isti termini sic accipiendi sunt, quasi nulla omnino foret concessio, in qua casus reservati non intelligerentur excepti: alias sequeretur, quod nec ipse SS. Pontifex possit ad illos facultatem concedere, quod est absurdum. Intelligendi sunt ergo prædicti termini de quibuscumque concessionibus, in quibus non exprimeretur sive in genere, sive in specie facultas absolventi a reservatione: in concessione autem, 2. sensu accepta, exprimitur illa facultas saltem in genere, ut patet ex ratione responsionis. Quod si hinc intelligitur, quam legitimam puto, quis morosè contradicat, saltem ea verba expressè non debent, nec possunt ultra casus illic expressos: dicitur enim *casus infra scripti &c.* & eo magis quod reservatio, cum sit odiosa, non debet extendi ultra terminos *Bulle*: illic autem non agitur de votis, nec de omnibus peccatis reservatis, sed tantum de peccatis simoniæ, & aliis contentis in *Bulla Cæne*. Ad 3. R. Constitutionem Sixtinam, *Etsi Dominici*, non respicere quascumque concessiones factas a SS. Pontificibus, non respicere quascumque concessiones taxat, quas ipse fecerat variis Confessoribus, qui his concessionibus abutentes earum prætextu quoscumque a quibuscunque peccatis & votis absolvent: contra quos debentur, non licere eis sub prætextu facultatum, quas concesserat, aut concessurus erat, absolvere a casibus reservatis, quos ibi recenset, nec commutare quinque vota reservata, nisi ex speciali ejus licentia. Placet ejus verba referre: *Statuimus, inquit, & ordinamus, quod de cætero prætextu facultatem hujusmodi concessarum a nobis vel auctoritate nostra, & quas concedi quomodolibet continget in posterum verbo, litteris &c. nullis Confessorum eorumdem quepiam... qui offensæ Ecclesiasticæ libertatis recurrentur casus Bullæ Cæne... prætextu hujusmodi facultatum absolvente, & per eos emissa per grinationis ulterramarine, & visitationis Luminum Apostolorum Petri & Pauli, in Compostella, & castitatis de Religionis vota, nisi ex speciali licentia & certa scientia nostra, de qua demum constare censeatur, cum in signatura nostra desuper manu nostra scriptum, ut in litteris nostris expressum fuerit, nos ex certa scientia & de speciali gratia id concedere, cum derogatione præsentis Constitutionis, illius de verbo ad verbum inserto tenore, non autem per clausulas id importantes... commutare presument.* Hæc ibi, quæ sane non faciunt Legem generalem quoad facultates concessas, aut concedendas ab aliis SS. Pontificibus, ut patet, sed solim spectant facultates ab ipso Sixto concessas, aut concedendas.

Hanc intelligentiam esse veram, sin minus, non esse receptam Constitutionem Sixtinam, sequens evincit ratio. Si modò concederetur a SS. Pontifice facultas absolventi a casibus in Constitutione Sixtina reservatis, & commutandi 3. præfata vota, absque eo quod exprimitur id concedi ex speciali gratia, & absque derogatione speciali hujus Sixtine Constitutionis, nec inserto ejus tenore de verbo ad verbum, talem facultatem ad præfatos effectus valere, nemo, ut puto, inficias ibit; atqui tamèn Sixti Constitutio hæc omnia necessario requirit, ut patet ex ejus textu: ergo evidens est, non extendendam esse ad concessiones factas ab aliis SS. Pontificibus, sed de iis solis a Sixto factis, sin minus, eam esse usu contrario abrogatam.

Confirmatur: Ipsimet contrariæ sententiæ defensores fatentur, in *Bulla Jubilæi*, per quas conceditur facultas

commutandi omnia vota, exceptis votis Castitatis, & Religionis, comprehendit facultatem commutandi alia vota reservata, triplicis peregrinationis; atqui tamèn in his non exprimitur, hanc facultatem concedi de speciali gratia, nec ulla ibi legitur derogatio Constitutionis Sixtine, inserto ejus tenore de verbo ad verbum, quamvis hæc omnia requiratur: ergo idem quod antè. Scio equidem, illam exceptionem votorum castitatis & Religionis indicare vota alia non excludi a gratia Jubilæi, juxta hanc regulam Juris: *Exceptio firmat regulam in contrarium*: sed etiam scio, Constitutionem Sixtinam requirere specialem sui derogationem, inserto ejus tenore de verbo ad verbum, nec sufficere clausulas id importantes; adeoque legitima manet consequentia.

Utrum SS. Pontifex possit dispensare in votis solemnibus, disputabimus in fine Dissertationis.

Dico 7. (A. 12. ad 2.) Ad licitam & validam dispensationem in votis requiritur justa & rationalis causa: Ratio est; quia dispensans non agit ut dominus, nomine proprio disponens de voto, aut materia voti tanquam de re sua, sicut facti irritans; sed agit ut inferior nomine Dei, qui non dedit hanc potestatem hominibus, ut ea temerè utantur ad destructionem, sed prudenter ad additionem, & ideo non censetur ratam habere dispensationem sine justa causa factam. Ex quo inferes (*Ibid.*) dispensationem sine causa, quam utentem tali dispensatione, non esse tutos in conscientia, quam utentem talis dispensatione graviter vel leviter pro conditione materie. Sic tamèn, ut a contrario, ubi adest causa sufficiens dispensandi, peccet etiam magis causa sufficiens dispensationem; quia, cum talis facultas sit ipsi collata propter bonum subditorum, denegando, ubi est causa dispensandi, facit ipsis injuriam, & est causa damnorum & peccatorum, quæ ex denegata dispensatione sequuntur. Id notent morosi dispensatores.

Dices, in quolibet voto includi conditionalitèr voluntatem Prelati, sicut supra dictum est de votis Religiosorum, & aliorum subditorum respectu irritantium: ergo, R. N. Ant. quia Prelatus dispensans non est, ut dixi, dominus voti, aut Prelatus dispensans non est, ut dixi, tantum nomine Superioris, nempe Dei: & ideo, licet hæc conditio subintelligatur respectu irritantis, non tamèn respectu dispensantis, nisi intelligas, quando subest justa causa dispensandi. Advertunt tamèn Auctores, & bene, quod si dispensans putet bona fide causam dispensandi esse sufficientem, quæ reverà sit, aut appareat postea insufficientem, nihilominus sit valida dispensatio: idque insinuat S. Doctor; (*Ibid.*) quia non videtur Deus plus exigere ab homine, quam quod faciat, quod in se est; quo posito censetur ei concedere usum sue potestatis; idque congruit tranquillitati conscientiarum & suavitati regiminis Ecclesiæ.

Petes 1. quænam sunt causæ sufficientes ad licitam & validam dispensationem. (*Ibid.* o.) generantur sunt hominum bonum communitatis, utilitas continentum, ejus fragilitas, et qua timetur frequens violatio voti, necessitas urgens, minor ætas, merus, inconsideratio, perturbatio mentis in vovendo, & maxime quando tales circumstantiæ occurrunt, ut dubium fit, an votum subsistat, aut obliget. Porro, quò majus & excellentius est votum, eò major requiritur ratio; minor, si votum sit de re minori omnino sufficiens, commutandum est votum in aliud opus pium. Imò, etsi sit sufficiens, tamèn ad majorem securitatem raro utendum est pura dispensatione absque aliqua commutatione: sicque solent SS. Pontifices.

Petes 2. Utrum vota in favorem tertii sint dispensabilia. R. N. Si is tertius promissionem acceptavit, quia per acceptancelem jus acquisivit ad rem voto promissam cui juri dispensans derogare non potest: secus autem, si promissionem non acceptavit, quia tunc nullum jus acquisivit.

Petes 3. An sit aliqua forma servanda in dispensatione? Idem queritur de irritatione & commutatione. R. N. Sed sufficit voluntas dispensantis; quia jus, aut praxis nihil aliud requirit. Debet tamèn vovens aut petisse dispensationem, aut exterioris ipsi manifestatam acceptare, quia Deus non censetur remittere voti obligationem qua liberè contracta est, nisi volenti eo solvi: secus in dispensatione legum, impedimentorum matrimonii, irregularitatum, & in absolute censurarum, & similibus; quæ a sola Prælati voluntate pendent.







Petes 8. Utrum tempore Jubilæi possit poenitens petere a diversis Confessariis gratias Jubilæi, v. gr. absolutionem? peccatorum ab uno, commutationem votorum ab altero. R. Patronos secundæ sententiæ superioris tueri partem affirmativam cum Card. de Lugo de Pœnit. disp. 28. num. 170. quia, inquit, licet Bullæ Jubilæi faciant mentionem Confessarii in singulari numero, non indicant tamen ullam necessitatem petendi omnes favores ab uno, & eodem Confessario. Quapropter nec nos fingere illum debemus. Hæc sententiâ non est omnino improbabilis, tamen non tam mihi probatur, ac præcedens propter Confessarium in singulari numero positum.

Petes 9. Utrum, qui tempore Jubilæi obtinuit commutationem votorum cum intentione opera præscripta adimplendi, si tamen ea postmodum non impleat, teneatur redire ad prius votum? R. Teneri, si commutatio sit facta sub conditione operum implendorum, quia tunc suspenditur commutatio, donec opera compleantur. Secus autem, si commutatio sit absoluta; quia hæc ratio consequitur suum effectum, & votum extinguit, quod ideo non reviviscit. Peccat tamen sic omittens. An graviter? Videtur quod non; quia, licet exhibeat animum adimplendi opera præscripta, non censetur tamen obligationem illa adimplendi sibi imposuisse, aut a Confessario accepisse.

## ARTICULUS IX.

Utrum in votis solemnibus Ecclesia, seu Summus Pontifex possit dispensare?

**D**ico: (Hic a. 11. o.) Summ. Pontifex non potest dispensare in votis solemnibus Religionis; bene tamen in voto solemnizato per susceptionem Ordinis sacri. Secunda pars hujus conclusionis communiter admittitur. Prima autem valde controversatur. Hanc negavit S. Th. junior in 4. d. 38. q. 1. a. 4. ad 3. hic autem senior factus aperte & constanter asserit, & cum eo major pars Thomistarum, Albertus Magnus, Sylvester, Sotus, Sylvius, & alii plures tam domestici, quam extranei, contra Cajet. hic, S. Antoninum, Scotum, Durandum, & alios plures tum Theologos, cum Canonistas.

Probatur 1. pars. (Ibid.) SS. Pontifex non potest facere, ut Religiosus manens Religiosus non teneatur ad servandam castitatem, paupertatem, & obedientiam, neque ut desinat esse Religiosus: ergo dispensare non potest, &c. Patet Conseq. quia hoc duplici modo dumtaxat intelligi potest fieri dispensationem in his votis, nempe ut per illam vel desinat esse Religiosus, vel ut manens Religiosus absolvatur a votis. Antecedens quoad 1. partem conceditur ab adversariis, & probatur evidenter; quia ista tria vota sunt essentialiter annexa statui Religionis, imò per illa constituitur, ita ut si Religiosus illis non astringeretur, foret Religiosus, ut supponitur, & non foret; quia non haberet id, per quod formaliter essentialiter constituitur Religiosus, & sic insimul adversarii interpretantur famosum caput *Cum ad Monasterium Extra. de statu Monachali*. Ubi Innocentius P. dicit: *Abdicatio paupertatis sicut & custodia castitatis adeo est annexa Regula Monachali, ut contra eam nec Summ. Pontifex possit licentiam indulgere; scilicet, inquit, quoad manet Monachus.*

Prob. (Ibid.) ergo 2. pars Antecedentis, de qua est potissimum difficultas. Religiosus per vota solemnia non solum promittit, sed etiam se totaliter tradit ad servandam castitatem, obedientiam, paupertatem, ut probatum est supra, & ea traditione absoluta, atque reciproca acceptatione consecratur Deo, & cultui Divino ad observantiam istorum votorum; atque summ. Pontifex facere non potest, ut id, quod est semel Deo consecratum, & sanctificatum, consecrationem amittat, quoad manet in sua integritate; sic v. gr. non potest facere, ut Calix consecratus desinat esse consecratus, quoad manet integritate, ut Sacerdos non sit Sacerdos, &c. Et ideo Levitic. ultimo dicitur: *Animal, quod immolari potest Domino, si quis ovaverit, sanctum erit, & mutari non poterit: & postea generaliter: Quidquid semel fuerit consecratum, sanctum Sanctorum erit:* ergo non potest facere Summ. Pontifex, quod ille, qui semel est professus Religionem, non sit Religiosus. Addit S. Doctor (Ibid.) hæc verba speciali animadversione digna: *Licet quidam Juriste ignorant contrarium dicant.* Ex quo patet, quantum S. Doctor, aliunde reprehendendi parcissimus, firmiter hanc nostram sententiam hic tenet; licet, ut dixi, oppositam ut probabiliorē antea tenuerit: quamque falsò, & infundatè, junior quidam Scotista fidenter asserat S. Th. ne-

gare tantum Pontifici potestatem dispensandi cum Religioso manente Religioso.

Dices Potest licite vas sacrum assumi in necessitate ad usus profanos; v. gr. Calix ad bibendum, Ecclesia ad habitandum, & de facto David 1. Reg. 21. assumpsit licite panes propositionis ad usum communem: ergo falsum est D. Thomæ assumptum, nimirum, id quod est consecratum, non posse amittere consecrationem, quoad manet integrum. R. N. Conseq. Res enim sacre in necessitate assumptæ ad usus profanos non ideo amittunt consecrationem, nec de facto panes propositionis a Davide assumpti desierunt esse Sacri. Cujus rei signum est, quod transacto usu isto profano, non egeant res illæ nova consecratione, ut iterum assumantur ad usus Sacros; quod tamen requireretur, si priorem consecrationem per usum profanum amisissent.

Nec tamen inde inferas, posse pariter in necessitate assumi Religiosum ad actum matrimonii, absque eo quod desinat esse consecratus, seu Religiosus. 1. Quia id non admittunt ipsimet adversarii. 2. Disparitas est, quod Religiosus constituitur talis per obligationem abstinentiæ ab actu matrimonii. Unde hoc ipso quo feret illi licitus iste actus, desineret esse Religiosus. At verò vas non constituitur Sacrum per obligationem abstinentiæ ab usu profano, sed per benedictionem & deputationem ad usum Sacrum. Porro usus sacer & usus profanus non se destrunt, sicut usus matrimonii & abstinentiæ ab illo, sed se compatiuntur in eodem subjecto, ut patet in Sacerdote.

Confirmatur eadem 2. pars Antecedentis. Religiosus constituitur talis, ut jam dixi, per hoc quod se totaliter tradit Deo, ad servandam castitatem, paupertatem, & obedientiam, ita ut Deus acquirat jus & dominium in illum, non generale dumtaxat, quale habet in omnes Creaturas, sed peculiare, quale homo habet in se & in res suas; atque Papa non potest hoc peculiare dominium a Deo auferre, nec Religiosum veluti manu mittere, atque ab ejus servitute mancipare, sicut non potest facere, ut is, qui se uxori per matrimonium dedit, ab illa semoveatur quantum ad vinculum: ergo. Prob. minor: licet Deus hanc potestatem Papæ, seu Ecclesie suæ conferre poterit, de facto tamen contulisse asseri non debet absque legitimo fundamento; atque nullum apparet legitimum fundamentum, neque in Scripturis, neque in Patribus, neque in traditione, ut patebit ex solutionibus objectionum. Neque etiam erui potest hæc potestas ex necessitate succurrendi bono communi: potest enim contingere, non minus fore necessarium bono communi, quod Imperator, aut Rex assumat secundam uxorem vivente adhuc priore, nec tamen ideo agnoscitur in Ecclesia potestas in hoc dispensandi: ergo.

Prob. 2. Conclusio. Papa non potest dispensare super matrimonio rato: ergo a fortiori super voto solemnii Religionis. Antecedens est probabilior sententiâ Theologorum contra Cajet. & alios Juristas, de quo vide Sotum in 4. dist. 27. q. 1. a. 4. Consequentia est evidens, quia votum solemnne est vinculum fortius matrimonii rato, si quidem illud dirimat. Confirmatur ab absurdo: si Papa posset dispensare in voto solemnii, sequeretur quod homo posset transire ad secundas nuptias, vivente priore uxore, etiam absque dispensatione super præcedente matrimonio, dato quod posset concedi; atque id videtur absurdum, & hæc usque inauditum in Ecclesia: ergo. Prob. sequela; Titius v. gr. post matrimonium ratum profectatur Religionem, & postea accedat dispensatio Pontificia super ejus Professione, poterit absque ulla alia dispensatione super matrimonio priore aliam ducere uxorem; quia istud prius matrimonium fuit per Professionem dissolutum, & forte prima uxor duxit valide alium virum: ergo. Urgetur magis. Votum solemnizatum per susceptionem Ordinis Sacri non dirimit matrimonium ratum; quia est dispensabile: ergo a contrario votum solemnne Religionis dirimit matrimonium ratum, quia non est dispensabile: vel certe aliam disparitatis rationem adferant adversarii.

Patet 2. Pars conclusionis; quia in susceptione Ordinis Sacri homo non traditur, seu consecratur ad servandam castitatem, ut in Professione Religiosa, sed ad Sacrum Ministerium, cui ex statuto Ecclesie annexum est simplex votum castitatis, in quo proinde potest SS. Pontifex dispensare, sicut in aliis omnibus votis simplicibus.

## Solvuntur objectiones.

**O**bj. 1. Potestas dispensandi in votis simplicibus probatur ex his Christi verbis ad Petrum Matth. 16. *Quod-*

*Quodcumque solveris, &c.* Et ex his ad discipulos Matth. 19. *Quæcumque solveris, &c.*; atque hæc verba non minus probant potestatem dispensandi in votis simplicibus: ergo. Prob. minor. Ideo ista verba probant potestatem dispensandi in votis simplicibus, quia sunt generalia, ideoque debent intelligi de omni vinculo, quod homo erga Deum contrahere potest, & aliquando solvi expedit, sic enim ratiocinatur sumus de potestate dispensandi in votis in communi; atque hæc ratio militat pro votis simplicibus aq̄, ac pro simplicibus, ut patet: ergo. R. 1. D. Ant. Potestas dispensandi in voto simplici probatur laudatis verbis præcisè, N. Adjuncta traditione & praxi Ecclesie, sive quatenus hunc intellectum iis tribuunt traditio & perpetuus Ecclesie usus, C. hoc autem dici non potest de voto solemnii. R. 2. N. Minorem. Ad Prob. D. Minorem; atque hæc ratio aq̄ militat pro voto solemnii, si tantum spectetur in illo vinculum promissionis, Transeat: si spectetur in illo traditio rei promissæ, N. major enim potestas requiritur ad irritandum traditionem, quam ad solvendum vinculum simplicis promissionis. Porro votum solemnne promissioni superaddit absolutam voventis traditionem, ut dictum est. Unde non est paritas.

Obj. 2. Juxta Bonifacium VIII. Cap. unico, *De voto & voti redemptione* in 6. & Gregorium XIII. Bulla *Ascendente Domino*, solemnitas voti est ex sola Ecclesie constitutione inventa: ergo Ecclesia potest dispensare in voto solemnii. R. N. Conseq. Ex antecedente enim sequitur tantum, quod Ecclesia possit dispensare in votis, non tamen in ipso voto solemnii, seu voti solemnii obligatione; hæc enim diversa sunt. Unde ipsemet S. Doctor, qui tam aperte hic docet Ecclesiam non posse dispensare in voto solemnii, admittit tamen a. 9. o. *Solemnitatem voti cadere sub dispensatione Ecclesie*. Igitur recolenda sunt, quæ supra diximus, nempe, solemnitatem voti consistere in traditione valida voventis, & acceptatione reciproca Ecclesie. Porro Ecclesia statuit atque ad invenit, quod, ut traditio & acceptatio forent valida & efficienter votum solemnne, adhiberentur multe conditiones, nimirum ætatis 16. completus, probatio Novitatis per annum, Religio approbata, legitimus superior &c. In his itaque quæ statuit atque advenit Ecclesia, dispensare potest, scilicet ut sit valida traditio & acceptatio, adeoque votum solemnne ante annum 16. sine probatione novitatis, &c. At, quod posita semel valida traditione & acceptatione, & consequenter voto solemnii, possit Ecclesia in eo dispensare, non dixerunt laudati Pontifices, nec sequitur ex eorum dictis. Sic v. gr. Ecclesia ordinavit, quod ritus calix sit consecrandus, Christus sit benedicendum, hæc ritus potest mutare, aliumque statuere: at, ubi semel tali ritu ab Ecclesia instituto calix est consecratus, & Christus est benedicendum, non potest Ecclesia efficere, ut calix desinat esse consecratus, & Christus esse benedicendum, quoad manet.

Obj. 3. Potest accedere, quod, si Religiosus Professor, aut Monialis professus non nubat, pax Patriæ non possit procurari, aut Regnum integrum devolvatur ad hereticos & a fide Catholica avertatur: ergo agnoscenda est potestas dispensandi in tanta necessitate. R. Retorquendo argumentum. Potest accedere, quod, si Rex, aut Princeps non ducat secundam uxorem, vivente priore, pax Patriæ non possit procurari, aut regnum integrum devolvatur ad hereticos; & a fide Catholica avertatur; atque tamen non agnoscitur in Ecclesia potestas dispensandi in hoc casu: ergo nec in nostro.

Sistendum igitur solutioni D. Th. (Ibid. ad 1) negando Conseq. & dicendo, quod periculis rerum humanarum est obviandum per res humanas; non autem per hoc, quod res Divinæ, hoc est, res, quæ sunt in peculiari Dei dominio, convertantur in usum humanum. Porro Professio Religionem mortui sunt mundo, & vivunt Deo; unde non sunt revocandi ad vitam humanam occasione cujuscumque eventus.

Inst. 1. Supponamus, tentata esse omnia media humano modo possibilia, sed frustra ita ut nullum restet medium aliud, quam Matrimonium Religiosi, namquid saltem tunc poterit dispensari cum eo? R. Non posse magis quam possit dispensari cum Principe, ut accipiat secundam uxorem, vivente prima, quantumvis id iudicetur necessarium bono communi; quia, ut dictum est, in ordine ad quærenda media succurrendi rebus humanis debemus nos gerere cum Religiosis, quasi non essent in mundo, cum revera sint mortui sæculo.

Inst. 2. Nullum votum debet esse impeditivum majoris boni; atque in casu posito votum continentie esset *Inst. Billuart. Secunda Secunda.*

impeditivum majoris boni: ergo. Prob. Minor: bonum commune est majus bono privato: ergo. R. 1. Hoc argumentum nimis probare: etenim probat, aut ipsum votum solemnne in casu posito ipso jure esse nullum, aut saltem Religiosum posse propria auctoritate illud commutare in votum Matrimonii; quia, ut diximus supra, vovens potest propria auctoritate commutare votum suum in evidentè melius. Neutrum autem, puto, admittent adversarii; quapropter istud eorum argumentum nihil probat pro votis solemnibus, sed tantum pro votis aliunde dissolubilibus. Insuper R. 2. N. Minorem. Ad Prob. D. Minorem: bonum commune est majus bono privato tantum, Transeat: bono privato simul & Divino, N. Esse autem Religiosum non solum est bonum illius hominis, sed etiam ipsius Dei, quatenus iste homo per Professionem Religiosam transit in peculiare Dei dominium, quod everteretur per dispensationem. Id ergo censeri debet melius bonum respectu voti, quod est gratius Deo; est autem Deo gratius, quod salvum maneat ejus singulare dominium in rem totaliter sibi dicatam, quam quod eo destructo succurratur bono communi humano.

Instabis 3. Si quis vellet solemniter vivere continentiam in imminente periculo totius Reipublicæ, cui posset per Matrimonium occurrere, non posset vivere, sed deberet potius nubere: ergo post emissum votum, manente eodem periculo, potest dispensari. Prob. Conseq. Nam, si bonum commune fuit causa sufficiens, cur iste non poterit vivere, sed deberet nubere, eadem ratione esse causa sufficiens, cur dispensetur in voto emissio: ergo. R. Dato Ant. N. Conseq. Ad Prob. N. Ant. quia major requiritur ratio ad dirimendum factum, quam ad impediendum, ne fiat: sic, si quis sciret ex suo Matrimonio periclitari bonum commune, non deberet illud contrahere; & tamen si contrahat, factum tenet, nec potest per Papam dissolvi. Similiter in casu argumenti. Quod autem alibi dixi, voti obligationem cessare, si tale quid superveniat, quod si ab initio fuisset, obligationem impedisisset, intelligendum est de voto simplici, quod est dissolubile, non verò de voto solemnii, quod semel validum est indissolubile; alioquin sequeretur, quod in casu Religiosus absque ulla dispensatione voti solveretur, quod nemo admittit.

Obj. 4. Summi Pontifices sæpe dispensarunt in voto solemnii Continentie; atque durum foret ipsos accusare erroris in tali facto: ergo. Prob. Major ex variis historiis: 1. Cælestinus III. dispensavit cum Constantia Rogerii Sicilie Regis filia, quinquagenaria, moniali professa in Monasterio Panormitano, ut nuberet Henrico VI. Imperatori. Cum enim Rogerius in expeditione Jerosolymitana vita functus esset, Tancredus ejus Regnum usurpaverit, & Cælestino Papæ obedientiam denegavit; qua de re commotus Pontifex eum regno privavit, & jussit Henricum VI. Imperatorem ducere Constantiam, ut eo Matrimonio natus esset Federicus II. Ita Platina in vita Cælestini. 2. Alexander III. ad restituendam familiam Justinianam in Bello contra Turcas extinctam dispensavit cum Nicolao Justiniano Veneto Monacho Benedictino, ut duceret uxorem, cujus matrimonio natus est B. Laurentius Justinianus. Ita Bernardus Justinianus Nicolai nepos in vita ipsius B. Laurentii apud Sorium 8. Januarii. 3. Benedictus IX. dispensavit cum Casimiro Rege Poloniæ, qui erat Monachus Cassinensis. Item ferrus fuisse dispensatum cum Ramiro Rege Aragoniæ, antea Monacho Benedictino. Ita Azorius p. 1. libr. 12. c. 7. ergo.

R. 1. Nullam ex his historiis est certò veram, sed esse omnes, aut falsas, aut saltem dubias, ita ut non sint sufficiens fundamentum adstruendi Ecclesie potestatem, de qua est questio. Quantum ad 1. Baronius ad ann. 1186. sic scribit: *Quod autem ex recentioribus pene omnes asserunt, Constantiam Monachalem fuisse, scias fabulosum esse atque commentum; fortasse inde excogitatum, quod ipsa aservata fuisset in Monasterio, ut si defuisset Regibus hujus temporis meminit Monachalis Constantie, nec dispensationis data, licet de ea, & ejus nuptiis mentionem sæpius faciant, ut Gotifridus Viterbiensis ipsius Henrici Notarius, Hugo Falcardus Scripsit Siculus, qui is aderat, deque Constantie educatione agit, Abbas Lucensis, Rogerius, Innocentius III. & alii; quod tamen, ob rei novitatem, ut nuberet Monialis, nullatenus a quoquam ipsorum prætermittendum fuisset.* Ita Baronius loco citato. 2. Quia Cælestinus juxta eundem non favebat Henrico, sed Tancre-



do. Quomodo ergo dispensasset cum Constantia in favorem Henrici contra Taucradum? 3. Secundum omnes Historicos Constantia nata est post mortem Rogerii Patris: quomodo ergo ab ipso detrusa fuit in Monasterium, tertius vaticinio Abbatis Joachim, asserentis ipsam fore funestam faciem Siciliae, si nuberet, ut refert historia, quam impugnavimus? 4. Quidam dicunt, Coelestinum dispensasse; alii Alexandrum III. quod est contradictio. 5. Juxta Baronium cit. Dominum Fleury Histor. Ecclesiast. l. 74. n. 1. ex Gotifrido laudato Constantia nupsit Henrico ann. 1186. sub Pontificatu Urbani III. non Coelestini III. aut Alexandri III. Alexander enim obiit ann. 1181. & Coelestinus electus fuit Pontifex ann. 1192. tantum. Tandem Patroni Monachatus Constantiae dicunt quinquagenariam, dum nupsit; Dominus Fleury vero ex eodem Gotifrido dicit 31. annum natam tantum, paulo plus, alii dicunt mortuam ante annum 44.

Si officias Inscriptiones incisas in eorumdem Henrici & Constantiae Sepulchris, in quibus Constantia dicitur *Rugosa Sacerdos*, quod multis annis fuerit Monialis; respondet Laudatus Baronius, se, diligenter inquisitione de iis Inscriptionibus facta, didicisse, viventibus tunc Siculis, ea, non tempore illorum mortis esse conscriptas, sed novissimè a quodam Canonico ex recepta ubique fabula.

Ad 2. eam etiam falsitatis arguit Baronius loco cit. quod Auctor hujus Historie aperte pugnantia loquatur, nempe Alexandrum III. qui obiit ann. 1181. dispensasse cum Nicolao Justiniano, & S. Laurentium Justinianum hujus Nicolai filium floruisse sub Eugenio IV. a quo Episcopali infula fuit insignitus: creatus est autem Eugenius IV. ann. 1431. ita ut filius debuisset supervivisse Patri 250. annis.

Ad 3. de Casimiro. R. etiam esse dubie fidei: 1. Quia hujus dispensationis nullum extat monumentum, ut videre est apud Baronium ad ann. 1041. 2. Quia alii Benedictum IX. alii Clementem II. dispensasse ferunt cum praefato Casimiro addit Gonetius disput. 9. *De impediment. matrimon. a. 2.* graves Auctores referre Casimiro emisisse quidem vota, sed vi & metu a Boleslao coactum; quod colligunt ex eo, quod exilio pulsus cum matre, & Cluniacum appulsus, ad majorem securitatem habitum Monachi suscepit. Ubi autem statu Regni mutato audivit legatos advenisse, ut eum ad solium revocarent, incredibili gaudio (inquit Longinus hujus Historie scriptor) affectus est.

Ad 4. de Ramiro. Dominicus Soto in 4. d. 38. art. 2. sub finem dicit, hanc Historiam esse apocrypham, inter annales Aragonum non referri, nullo alio fultam testimonio, quam Paladani, aut aliorum, qui originalem Historiam non referunt: & inde magis reddi dubiam, quod non nominetur Pontifex, a quo fuit dispensatum.

R. 2. ad totum argumentum, supposita veritate harum Historiarum, summos Pontifices secutos fuisse Sententiam, quae apud Canonistas reputatur probabilior. Unde non sunt reprehendendi, nec tamè id Sententiae nostrae officit: quia, ut ait Soto loc. cit. *Pontificum Sententiae in libris occurrentibus, & eorum gesta non sunt habenda tamquam Canonicae Leges, & multò minus tamquam articuli fidei, quia neque sub illa forma constituuntur. Sed in rebus, quae sub diversis opinionibus versantur, Pontifices nonnumquam unam opinionem Doctorum sequuntur, non tamen eam tamquam Legem constituentes, neque contrariam condemnantes. Et idè, quomodo concedamus Pontifices aliquos super voto solemnità castitatis dispensasse, non illud habetur pro Lege, potissimum cum inter decreta non referatur.*

Obj. 5. In voto paupertatis & obedientiae dispensatur de facto cum illis, qui post professionem ad Episcopatum assumuntur: ergo. R. N. *(Ibid. ad 4.)* Ant. Religiosus enim, qui fit Episcopus, sicut non absolvitur a voto continentiae, ita nec a voto paupertatis, sed est sicut dispensator bonorum communium Ecclesiae. Similiter etiam non absolvitur a voto obedientiae, sed per accidens obedire non tenetur, quia superiorem non habet: sicut nec Abbas Monasterii, qui tamèn a voto obedientiae non est absolutus.

Obj. 6. In omni voto solemnità intelligitur hæc conditio, *si Pontifex dispensaverit propter bonum commune*: ergo. Prob. Ant. In omni Lege, ut justa sit, includitur hæc conditio, *si non obstat bono communi*; atqui votum est quædam Lex privata, quam sibi homo præscribit: ergo in omni voto intelligitur hæc conditio, nisi propter bonum commune Papa dispensaverit. R. N. Ant. Imò ex ipso actu votendi solemnità apparet contrarium: cum enim se tradat Deo ad Castitatem servandam usquè ad mortem, mens ejus & intentio potius est, quod non dispensetur cum illo. Ad probat. disparitas est, quod Lex pro fine primario respiciat bonum commune, votum autem etiam secundum quid dicatur Lex, non respicit tamèn

bonum commune pro fine primario, sed bonum votantis & Dei, cui se tradit. Sicut ergo, dum homo se per matrimonium tradit conjugi nulla includitur Papæ voluntas dispensandi, nec pro salute totius Reipublicæ Papa hoc matrimonium dirimere potest: sic traditio totius hominis cultui divino per votum solemnità est absoluta, nec a Pontifice ullo modo dependens.

Quod posset objici ex paritate voti solemnità per susceptionem Ordinis Sacri, solum manet ex probat. 2. paritatis conclusionis.

DIGRESSIO HISTORICA.

De Voto Jephthæ.

Ad Art. II. Dissert. Præcedentis.

REI gesta Historia describitur Judicum 11. Jephthæ, pugnaturus contra Ammonitas, vovit Domino dicens: *Si tradideris filios Ammon in manus meas, quicumque primus fuerit egressus de foribus domus meae, michique occurrerit revertenti cum pace a filiis Ammon, eum holocaustum offeram Domino.* Ipsi vero victori revertenti in Maspha occurrit ei unigenita filia sua cum tympanis, & choris. *Qua visa scidit vestimenta sua; & ait: heu heu me! filia mea deceptisti me, & decepta es.* Hæc auditio Paris voto annuit, & tantum petit: *Dimitte me, ut duobus mensibus circum-eam montes, & plangam virginitatem meam cum sodalibus meis, cui ille respondit, vade... Expletis duobus mensibus reversa est ad Patrem suum, & fecit ei, sicut voverat, quod non voverat virum.* De voto illo queritur, an legitimum fuerit, & quomodo illud impleverit Jephthæ, an filiae cede, an consecratione virginitatis tantum?

Dico (*Hic a. 2. ad 2.*) Jephthæ votum imprudenter emisit, & crudeliter adimplevit in filia, non virginitatis consecratione, sed maceratione cruenta. Prob. *(Ibid.)* 1. pars. Ille imprudenter & illicitè vovet, qui vovet Deo immolandum aliquod, quod lege prohibetur immolari, aut se huic periculo exponit; atqui tale fuit Jephthæ votum: ergo. Prob. Minor: cum dixit Jephthæ: *Quicumque primus fuerit egressus de foribus domus meae, michique occurrerit revertenti cum pace a filiis Ammon, eum holocaustum offeram Domino;* vel intellexit de homine quocumque, quod probabilius est, cum soli homines soleant obviam ire victori, & ipsi de victoria gratulari: hominem autem innocentem immolari vetat, non solum Lex naturalis, sed & positiva divina, Deuter. 12. *Non facies similitudinem istam, sicut Gentes Deo tuo: omnes enim abominabiles quas aversatur Dominus, fecerunt Horum suis offerentes filios & filias & comburentes igni:* & idè primogenitos redimi jussit Exod. 13. & immolationem Isaci noluit persolveri, sola Patriarchæ obedientia contentus. Vel intellexit de quocumque animali, ut quidam volunt; poterat autem illi occurrere animal immundum, quod Lex vetabat immolari, ut asinus, aut canis; vel homo, ut de facto occurrerit, quem etiam immolare erat prohibitum, ut dixi: ergo. Undè Hieronymus dicit: *in vovendo fuit stultus, quia discretionem non habuit, & in reddendo impius.*

Respondent quidam juxta cap. 27. Levit. licuisse etiam homines vovere, & eos immolare: dicitur enim, *Omne, quod Domino consecratur (id est omne, quod vovetur, anathema) sive homo fuerit, sive animal, sive ager, non vendetur, nec redimi poterit: quidquid semel fuerit sanctum sanctorum erit Domino. Et omnis consecratio, quæ offertur ab homine, non redimetur, sed morte morietur:* ergo. R. quòd, cum inter secreta morte plebenda numeretur homo & ager, homo autem non debeat immolari per mortem realem, ut vidimus, & ager non possit, intelligendum est hoc fieri debere per modo cuiusque rei: ita ut, si esset animal immolatum, occidebatur in sacrificium, immundum extra sacrificium: homo moriebatur negotiis secularibus, & deputabatur cultui divino, quomodo hodiè Religiosi dicuntur mundo mortui; denique, si esset ager, aut aliud quid inanimatum Deo consecratur, sic, ut non possit redire ad usum profanum, quæ consecratio quædam mors, seu mortificatio erat; nam & hodiè possessiones Ecclesie dicuntur *Amortizate*. Ità Estius in hunc locum.

Prob. 2. pars: cum filia Jephthæ post duos menses esset reversa ad Patrem, fecit ei, sicut voverat; atqui non voverat consecrationem spiritualem victimæ, sive immolationem virginitatis, sed realem & cruentam immolationem: ergo. Probat. Minor: voverat se oblatum in holocaustum, quod ipsi primum occurrisset; atqui holocaustum erat mactandum, & totum igne comburendum

dum in honorem Dei: ergo.

Si dicas, holocaustum posse intelligi spiritualiter pro morte civili per consecrationem virginitatis, ut intelleximus supra anathema, c. 27. Levit. Contra est, & simul confirmatur conclusio: 1. virginitas tunc inusitata erat, quæ a B. V. Maria ortum duxit. 2. Si virtualiter dumtaxat immolanda fuisset filia, Jephthæ ubi illum vidit, non prorupisset in miserabiles ejulatus, nec vestimenta sua scidisset, nec virgo postulasset bimestre tempus ad plangendam cum sodalibus virginitatem suam; id enim potuisset toto tempore vite: nec etiam quontanis lege lata convenisset filiae Israël ad plangendum solemnem supra filia Jephthæ 40. dierum spatio, nisi reverà fuisset mactata.

Hanc conclusionem quoad utramque partem ante D. Th. tradiderunt Josephus l. 5. antiquit. c. 10. *præfinitum tempus, inquit, pater mactatum holocausto obtulit, neque legitimum, neque gratum Deo faciens.* Ambrosius l. 3. *De Officiis* cap. 12. *Miserabilis necessitas, inquit, quæ solvitur parricidio, melius est non vovere, quam vovere id quod sibi, cui promittitur, nihil exsolvit.* Hieronymus in cap. 6. *Micheæ* suis verbis: *Nunquid dabo... fructum ventris mei pro peccato anime meae? Quod fecit Jephthæ pro temeritate voti offerens filiam.* Aug. fusc q. 49. in Judices, ubi ait: *Iste verò (Jephthæ) Deo non jubente, neque poscente, & contra legitimum ejus præceptum ultra sacrificium voti humanum Theodoret. q. 20. in Judices. Tertullianus l. 3. contra Marc. c. 4. Chrysost. hom. 14. ad Popul. Antiochi (qui citatur ibidem in contrarium a Beccano in Analog. vet. & novi Testam. c. 16. n. 37.) Sic ait: „Filiam primam sibi occurrentem immolavit, & Deus non prohibuit. Et novi quidem, quòd Infidelium multi crudeliter, & inhumanitatem nobis impropreant propter hoc sacrificium: ergo verò multa providentiæ, & clementiæ demonstrationem in hoc Sacrificio factum esse dicerem, & quòd generis nostri curam gerens eadem illam non prohibuit. Si enim post votum, & promissionem illam Sacrificium prohibuisset, multi vovissent hujusmodi vota, & sensim progredientes in filiorum necem incidissent. Nunc vero illud opere permittens impleri, posteros omnes prohibuit. Et quòd hoc sic verum, postquam Jephthæ filiola fuit jugulata, ut sempiternæ memoriæ calamitas esset, nec malum oblivioni traderetur, apud Judæos Lex lata est, virgines in illo tempore convenientes, quadraginta diebus commissam eadem deplorarent, ut eadem memborum renovantes, posteros omnes prudentiores faciant, & discant, quòd de mente Dei non erat, ut hoc fieret; usque enim lugere, & plorare virgines permisisset. Et quòd non conjectura sit quòd dicitur, suis demonstravit; post illud enim Sacrificium nemo tale Deo votum vovit, propterea hoc non prohibuit. Quod autem ipse mandavit in Isaac, veritè: per ambo demonstrans quòd non gaudet hujusmodi Sacrificiis.“ Hæc S. Chrysostomus, in quibus conclusionis magna lux affulget, & quædam objectiones solvuntur.*

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. contra 1. partem. Jephthæ votum suum emisit singulari Spiritus S. impulsu: ergo. Prob. Ant. loco cit. *Judic. Factus est ergo super Jephthæ spiritus Domini, & circumiens Galaad & Manasse, Maspha quoque Galaad inde transiens ad filios Ammon, votum vovit Domino dicens: si tradideris, &c.* ergo. R. 1. juxta Aug. loco cit. spiritum Domini, qui factus dicitur super Jephthæ, fuisse spiritum formidinis ac roboris, quo hostes debellaret, non spiritum consilii, ac pietatis, quo prudens legitimumque votum emitteret. Sic de Gedeone dicitur, *Spiritus Domini confortavit Gedeon*, scilicet ut hostes populi tanta facilitate superaret, non ut ex auro prædæ faceret Ephad, post quod omnis Israël fornicatus est. R. 2. juxta D. Th. *(In Ep. ad Hebr.)* in facto Jephthæ fuisse aliquid a Spiritu S. scilicet motum ad vovendum in generali, aliquid autem ex proprio spiritu, scilicet, quòd immola-

vit quod non debuit, & in hoc peccavit; sed post poenitentiam vel, ut ait hic S. Doctor, (*Hebr. a. 2. ad 2.*) fides & devotio, qua motus est ad vovendum, fuit à Spiritu S. non autem ipsum votum.

Inst. 1. Tam insignis victoria, de hostibus Israël statim post votum reportata, probat illud fuisse Deo gratum, & a Spiritu S. ergo. R. cum S. Aug. loco cit. *Agit spiritus Domini, & per bonos, & per malos, & per scientes, & per nescientes quid agendum novit & statuit... unde & Gedeon, etsi non postea quam fecit Ephad, tamèn postea quam tenuit Dominum, quòd utique peccatum est, magna strage hostibus cæcis atque superatis populo acquisivit salutem.*

Inst. 2. Apost. ad Hebr. 11. sic ait: *Deficiet me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Samsonem, Jephthæ, David, Samuel, & Prophetis, qui per fidem vicierunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones:* ergo. R. cum S. Aug. & S. Th. loco cit. Jephthæ & alios ab Apost. inter Sanctos recenseri, non quòd nusquam peccaverint, ut certò constat de Samsonem, Davide, & Gedeone; sed quia fidei merito conspicui, & poenitentia peracta in justitia & sanctitate & defuncti sunt, & repromissiones adepti.

Inst. 3. Hieronymus, spectans hunc locum Apostoli Ep. 24. ad Julian. ait: *Jephthæ obtulit filiam virginem; & idcirco in enumeratione Sanctorum ab Apostolo reponitur:* ergo. R. S. Hieronymum laudare animum voventis, seu rationem, quæ movit Jephthæ ad vovendum scilicet fidem ac Religionem, non vero votum ipsum ex parte objecti, & circumstantiarum, quæ ipsum contaminantur: & nisi sic intelligas, sibi ipsi contradicet Hieronymus, ut patet ex probat. conclusionis. Caterum, si qui sint SS. Patres, qui aliter, ac nos de hoc facto censent, ipsis opponimus Patres citatos in probat. conclusionis.

Inst. 4. cum Beccano. Si populus non putasset, hoc votum esse a Spiritu S. & Deo acceptum, non fuisset passus, filiam Jephthæ occidi, sed eripisset illam a morte, sicut eripuit Jonathan, quando Saul ratione juramenti, quo se obstrinxerat, volebat ipsum interficere. 1. Reg. 14. ergo. R. dato quòd assumitur, inde sequi populum errasse, quòd non est mirum, nec rarum.

Inst. 5. Scriptura votum factumque Jephthæ non reprehendit, cur ergo nos illud improbamus? R. cum Aug. supr. cit. Scripturam Sacram de voto, & facto Jephthæ in neutram partem sententiam protulisse, ut noster intellectus in *Judicando exerceretur*: sed æstimandum reliquisse ex justitia, & Lege Dei consulta; Lex autem Dei, & ipsa Scriptura hujusmodi sacrificia Deo displicere satis testantur.

Obj. 2. contra 2. partem: 1. Non est verisimile, Jephthæ hominem prudentem sermonem non habuisse de voto cum Phinees Summo Sacerdote, vel cum aliis Sacerdotibus in Lege; quòd si fecerit, nullus horum ipsi suasisset filiam innocenter mactare. 2. Petit illa bimestre, ut plangeret non mortem, sed virginitatem suam. 3. Cum Scriptura dixerit: *Expletisque duobus mensibus reversa est ad patrem suum, & fecit ei, sicut voverat*, subdit: *Qui non voverat virum, id est virginitatem perpetuò servabat:* ergo. R. Ad 1. Jephthæ a sapientibus consilium non petisse circa executionem voti sui, quia humanum, & militare securus errorem existimabat, se illud implere debere: vel sapientes, si interrogavit, satis peritos in lege non fuisse, ut huic quæstioni quòd rectum erat, responderent. In Chaldaica Paraphrasi legitur: *& non consulti Phineas Sacerdotem;* & si consultisset Phineas Sacerdotem, redemisset eam pecuniis. Ad 2. R. Quòd petierit illa bimestre ad plangendam virginitatem suam, id est, virginalem ætatem, eo quòd moritura esset, nulla relicta prole, tunc cum tristes erat, & indecora virginitas ac sterilitas, ob spem Messie e Judæis nascituri. Ad 3. N. Quòd id, quòd Sacer Historicus subdit: *Que non voverat virum*, si circumstantia ad substantiam voti minime pertinens, quæ tamèn tacenda non fuit, sive ut paterni juris adhuc significaretur, sive ut ratio redderetur, cur inducias ad plangendam virginitatem a patre postulasset.

DISSERTATIO V.

DE JURAMENTO, ADJURATIONE, ET ASSUMPTIONE DIVINI NOMINIS PER LAUDEM.

D. Thom. Quæst. 89.

PERacta discussione actuum internorum latræ, considerandum est (Q. 89. in præm.) de actibus ejus exterioribus, quibus aliquid Divinum ab hominibus assumitur, quòd est Sacramentum aliquod, vel ipsum Divinum Nomen.

XXX 2 men.